

Concedit Pontifex reductionem praestantiam ut in rub.

mittitur factam cum ipsa Legatione expirante.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat nostri, & dictae Sedis milites aegroti in Hospitale praefatum gratis recipi, ibique curari solent cum notabili utilitate dictae Camerae, quae alioquin eorumdem militum curationi providere deberet; dicti vero exponentes a sententia quidem praefata appellaverint, sed potius ex nostra, & dictae Sedis benignitate eidem Hospitali opportune in praemissis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri plurimum desiderent: Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum, serie absolventes, & absolutas fore censentes, ac dictae liti statum, & merita, nominaque, & cognomina, ac qualitates iudicum, & Colligantium, & alia quaecumque etiam specificam, & individuum mentionem, & expressionem requirentia, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, supplicationibus eorumdem exponentium, ac etiam dilectorum pariter filiorum Communitatis, & Hominum dictae Civitatis Avenionen, nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, moderationem, seu reductionem dictae novennalis praestantionis ostingentorum quinquaginta, vel circiter scutorum, ad centum, & octo scuta paria quolibet novennio Camerae supradictae praestanda memorato Hospitali factam, ut praefertur, ita tamen, ut nostri, & dictae Sedis milites aegroti, & convalescentes perpetuis futuris temporibus in Hospitale praedictum gratis recipi, ibique absque ullius mercedis praestatione curari debeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiciamus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§.3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac dicto Hospitali in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Camerae praefatae Praesidentes Clericos, aliosque Officiales, & Ministros iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrarium

§.4. Non obstantibus praemissis, ac felicis rec. Pauli II., & aliorum Romano-

rum Pontificum Praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae, & Camerae praefatae non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictae Camerae, & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 10. Novembris 1668. Pontificatus nostri Ann. II.

Dat. die 10. Nov. 1668. An. II.

LXXXV.

Committitur Nuncio Sabaudiae, ut audiatur Recursus subditorum Principatus Messerani, & Marchionatus Crevacorii.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Ven. Fratri Angelo Archiepiscopo Damiatensi nostro, & Apostolicae Sedis apud dilectum filium Nobilem Virum Carolum Emmanuelem Sabaudiae Ducem Nuncio.

CLEMENS PAPA NONUS

Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. CUM dilecti filii Consules, Consiliarii, & Homines Principatus Messerani, & Marchionatus Crevacorii aliorumque locorum annexorum ob magnam eorum ab Urbe distantiam non facile, nec sine notabili incommodo, & impensa valeant accedere ad Apostolicam Sedem, eique suos recursum, & querelarum causas proponere, si quando a Dominis, quibus ab eadem Sede commissi sunt, vel eorum iudicibus sentiant, se in aliquo praegravari; indeque saepius contigerit illos praesto neminem habentes, qui eos audiatur, & praesidio sit, animis concitatis profluisse in varios excessus, maximo etiam cum detrimento praedictorum Dominorum loca ipsa obtinentium in feudum. Nos ex munere Nobis injuncto volentes omnium tranquillitati, ac etiam commoditati, & indemnitati prospicere; motu proprio, ac ex certa scientia nostra, deque Apostolica potestatis plenitudine, Te, de cujus probitate, prudentia, ac in rebus agendis dextertate, & experientia plurimum in Domino confidimus, constituimus, & deputamus, ut recursum, si quos a quibusvis gravaminibus per dilectum filium Nobilem Virum Principem Messerani, & Marchionem Crevacorii, sive ejus Iudices praedictis Consulibus, Consiliariis, & hominibus tam

Motiva praesentis Constitutionis.

Nuncio Apostolico committit recursum ut in rub.

LXXXVI.

Decretum ad favorem Magistrorum Coereemoniarum non Participantium exigendi a singulis Cardinalibus in promotione ad Cardinalatus honorem triginta sex ducatos auri de Camera, & post eorum obitum ab eorum haeredibus viginti quinque.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad futuram rei memoriam.

Dudum felic. rec. Paulus Papa V. Praedecessor noster motu suo proprio, ac ex certa scientia Magistris Coereemoniarum centum, ac Secretario, & Clerico, ac Computista Sacri S. R. E. Cardinalium Collegii septuagintaquinque a singulis Cardinalibus in promotione ad Cardinalatus honorem, necnon eisdem Magistris quinquaginta, ac Secretario, Clerico, & Computista similiter septuagintaquinque ducatos auri de Camera post obitum singulorum Cardinalium, etiam ad Cardinalatus honorem promoti Romam nondum venissent, & si ve illos in Romana Curia, vel extra eam, & ubicumque decedere contingeret, in supplementum mercedis ordinariae eorumdem Officialium, seu Ministrorum deberi, illisque conjunctim per pro tempore existentes Cardinales praedictos, seu eorum Agentes, & haeredes respective abque mora solvi, & eis consignari debere, sine tamen praedictis quorumcumque iurium Camerae Apostolicae quomodolibet debitorum, ac solvendorum, auctoritate Apostolica perpetuo statuit, & ordinavit, & alias prout in ipsius Pauli Praedecessoris literis desuper in simili forma Brevis, die 3. Januarii 1619. expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberior continetur.

Tenor Brevis Pauli V.

§.2. Cum autem praeter praedictos Magistros Coereemoniarum, qui duo sunt, & Participantes vocantur, alii sint Coereemoniarum Cappellae nostrae Pontificiae Magistri interdum duo, & quandoque, prout de praesenti, tres, qui non Participantes nuncupantur; ipsique Magistri Coereemoniarum non Participantes in quasi possessione accipiendi, & exigendi a singulis Cardinalibus in promotione ad Cardinalatus honorem triginta sex, & post eorum obitum ab eorum haeredibus viginti quinque ducatos auri de Camera pares ex laudabili consuetudine (ut accepimus) reperiantur.

Magistri Coereemoniarum qui sunt.

§.3. Nos attendentes Ven. Fratres nostros ejusdem S. R. E. Cardinales horum quoque Magistrorum Coereemoniarum officio, atque ministerio egere, & uti, dictaque emolumenta eis tanquam mercedem, seu pro eorum mercede praestari consuevisse, & propterea illorum indemnitati consulere volentes, motu simili, ac ex certa scientia nostra praedictis Coereemoniarum

Decretum de quo in Rub.

Poenae contra inobedientes statuit.

Decretum irritans.

Derogatio contrarium

Dat. die 12. Nov. 1668. An. II.

Ad perpetuam rei memoriam.

rum Magistris non participantibus triginta sex in promotione ad Cardinalatus honorem, & viginti quinque ducatos auri de Camera predictos inter eos pro aequis portionibus respective dividendos post obitum singulorum Cardinalium hujusmodi, etiam si ad Cardinalatus honorem promoti Romam nondum venerint, & sive in Romana Curia, sive extra eam, & ubicumque illos decedere contigerit, in supplementum mercedis ordinariæ eorundem Magistrorum Cœremoniarum non Participantium pariter deberi, illisque conjunctim per existentes pro tempore Cardinales predictos, seu eorum Agentes, & Hæredes respective absque mora solvi, & eis consignari debere, sine ullo tamen quorumcumque jurium Camera prædictæ quomodolibet debitorum, & solvendorum, ac anterioritatis, & potioritatis Cœremoniarum Magistrorum participantium, & trium Sacri Collegii Officialium supradictorum præjudicio, auctoritate Apostolica, tenore præsentium itidem perpetuo statuimus similiter, & ordinamus.

Executores deputat.

§.4. Injungentes propterea dilectis filiis nostro ejusdem S. R. E. Collegii Cardinalium moderno, & pro tempore existenti Camerario, necnon causarum Curie Camera prædictæ generali Auditori, quatenus intra mensem a die promotionis eorundem Cardd. computandum, etiam si iidem Cardinales nondum, ut præfertur, Romam venerint, per dicti Collegii Depositarum, vel alias prout melius expedire videbitur, triginta sex, in obitu autem, seu post obitum prædictorum Cardinalium sive in dicta Curia, seu extra eam, & ubicumque eos decedere contigerit, viginti quinque ducatos auri de Camera hujusmodi memoratis Magistris Cœremoniarum non Participantibus ab hæredibus eorundem Cardinalium, quibusvis appellationibus, subterfugiis, & cavillationibus remotis, ut præfertur, persolveri curent, & cum effectu faciant, ac summarium, & expeditum jus illis administrant, omnibusque remediis opportunis sibi benevisis, etiam cum invocatione auxilii brachii secularis cogant, & compellant.

Derogatio contrariis.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ memoratus Paulus Prædecessor in suis literis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 21. Nov. 1668. An. II.

Datum Romæ apud S. Mariam Majoris sub Annulo Piscatoris die 22. Novembris 1668. Pontificatus nostri Anno II.

LXXXVII.

Suppressio, & extinctio Congregationum Canonicorum S. Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jesuitarum, & Sancti Hieronymi de Fesulis.

Exordium.

Romanus Pontifex agri dominici curæ more seduli patris familias jugiter invigilans, ad evellendas inde Religiosorum Ordinum, atque Congregationum plantas, quæ deficiente primævo religiositatis vigore, atque spiritu, nullam, seu valde modicam in Ecclesia Dei utilitatem præstant, nonnunquam adducitur, sicut publico ejusdem Ecclesiæ bono conducibile in Domino arbitratur.

Suppressio Congreg.

§.1. Hac consideratione, aliisque gravissimis, & rationabilibus causis Nobis notis adductis, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Congregationes Canonicorum Sancti Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jesuitarum Sancti Hieronymi, & Fratrum ejusdem Sancti Hieronymi de Fesulis sub regula Sancti Augustini, una cum omnibus earum respective dignitatibus, officiis, ac ministeriis, omnique conventionalitate, collegialitate, titulo, essentia, ac denominatione, tenore præsentium perpetuo extinguimus, supprimimus, & abolemus.

Bona earum in opera pia convertenda.

§.2. Ac universa earundem Congregationum sic suppressarum respective bona mobilia, & immobilia, tam sacra, quam profana, Conventus, Collegia, Monasteria, domos, vineas, prædia, canones, responsiones, fructus, introitus, & jura quæcumque, ubicumque locorum existant, nostræ, & Sedis Apostolicæ dispositioni in usus, & opera pia per eos, quibus id a Nobis, & Sede præfata commissum fuerit, convertenda reservamus.

§.3. Præterea Canonicis, & Fratribus dictarum Congregationum suppressarum, qui nunc vivunt, & in eisdem Congregationibus respective professionem emisserunt, facultatem transeundi ad aliam quamcumque Religionem ab eadem Sede approbatam, in qua benevolos invenerint receptores, aut remanendi in seculo in habitu Clerici secularis, sub jurisdictione, & obedientia Ordinariorum locorum, ubi eos morari contigerit, cum provisione ipsorum singulis pro alimentis, Clericis quidem in summa quadraginta scutorum monetæ Romanæ, Laicis vero, seu Conversis in summa viginti scutorum parium annis singulis donec vixerint, seu aliunde sufficienter eis provisum fuerit, super certis bonis, aut redditibus Congregationum suppressarum hujusmodi respective per eisdem Ordinarios assignanda, tribuimus, & impartimur.

De Ecclesiis suppressis pro videt.

§.4. Postremo ne Ecclesiæ earundem Congregationum suppressarum debito destituantur servitio, sed factæ rectæ custodiantur, prædictis Ordinariis locorum, in quibus Ecclesiæ ipse sunt sitæ, per præsentem committimus, & mandamus, ut Cappellanos deputent cum competenti mercede, etiam super re certa de bonis prædictis assignanda, per quos Missis, & aliis oneribus satisfiat, ac ipsi Ecclesiis debitus cultus, & veneratio conservetur: utque dicti Ordinarii Inventarium tam sacra, quam profana suppellectilis, ad Congregationes suppressas hujusmodi respective spectantis accurate conficiant, ac provideant ne a quocumque occultari, occupari, aut inde amoveri ullatenus possit, nisi, & donec a Nobis, seu Sede prædicta aliter provideatur.

Clausula præservativa.

§.5. Decernentes eisdem præsentibus literas etiam ex eo quod Superiores, & alii Canonici, & Fratres, seu Religiosi Congregationum suppressarum præfatarum, & cæteri quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet pretendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque cause propter quas eadem præsentibus emanarunt, adductæ, verificatæ, aut justificatæ ullatenus fuerint, nullo unquam tempore de subreptione, vel obreptione, nullitate, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, iuxta cogitato, & substantiali, sive etiam ex eo, quod in eisdem præmissis solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda servata, & adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, etiam in corpore juris clauso, sive etiam enormis, enormissimæ, & totalis læisionis, & quovis alio pretextu, occasione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, notari, & impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperiitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concessio, aut impetrato quempiam uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

Clausula sublata.

§.6. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, aliosque quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio Constitutionum.

§.7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis generalibus editis, & quatenus Bull. Rom. Tom. VI Par. VI.

opus sit, de jure quæsito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus perpetuis, illisque committendis ad partes vocatis quorum interest, & aliis nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, necnon Congregationum suppressarum, prædictarum, earumque respective Conventuum, Collegiorum, Monasteriorum, & Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Congregationibus, illarumque Superioribus, Canonicis, Fratribus, Religiosis, & personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu simili, & consistorialiter, ac alias quomodolibet concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, insertis, & servatis respective habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptio eorum fides.

§.8. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. M. M. sub Annulo Piscatoris, die 6. Dec. 1668. Pont. nostri Anno II.

Dat. die 6. Dec. 1668. An. II.

LXXXVIII.

Applicatio Bonorum trium Congregationum suppressarum in Statu Venetorum existentium ipsi Reipublicæ in subsidium contra Turcas.

Ex Regest. in Secretis Brev.

Ven. Fratri Laurentio Archiepiscopo Carthaginensi, moderno, & pro tempore existenti nostro, & Apostolicæ Sedis in Dominio Venetorum Nuncio.

CLEMENS PAPA NONUS Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. CUM Nos gravissimis, & rationabilibus causis Nobis notis adductis, Q q

Motiva Constitutionis.

Et, Congregationes Canonicorum Sancti Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jesuatorum S. Hieronymi, & Fratrum ejusdem S. Hieronymi de Fesulis sub Regula S. Augustini una cum omnibus earum respective dignitatibus; officiis, & ministeriis, omnique conventualitate, collegialitate, titulo, essentia, & denominatione perpetuo extinxerimus, & suppresserimus; Ac universa earumdem Congregationum sic suppressarum respective bona, mobilia, & immobilia, tam sacra, quam profana, Conventus, Collegia, Monasteria, Domos, Vineas, Prædia, Canones, Responiones, Fructus, Introitus, & Jura quæcumque, ubicumque locorum existerent, nostræ, & Sedis Apostolicæ dispositioni in usus, & opera pia per eos, quibus id a Nobis, & Sede prædicta commissum foret, convertenda reservaverimus; Præterea Canonicis, & Fratribus dictarum Congregationum suppressarum, qui nunc vivunt, & in eisdem Congregationibus respective professionem emisserunt, facultatem transeundi ad aliam quamcumque Religionem ab eadem Sede approbatam, in qua benevolos invenerint receptores, aut remanendi in seculo in habitu clerici secularis sub jurisdictione, & obedientia Ordinariorum locorum, ubi, eos morari contigerit, cum provisione ipsorum singulis pro alimentis, clericis quidem in summa quadraginta sc. monete Romanæ; Laicis vero, seu Conventis in summa viginti scutorum parium annis singulis donec vixerint, seu aliunde sufficienter eis provisum fuerit, super certis bonis, aut redditibus Congregationum suppressarum hujusmodi respective per eosdem Ordinarios assignanda tribuerimus, & impertiti fuerimus; Ac demum ne Ecclesiæ earumdem Congregationum suppressarum debito destituantur servitio, sed factæ recte custodiantur, prædictis Ordinariis locorum, in quibus Ecclesiæ ipsæ sunt sitæ, commiserimus, & mandaverimus, ut Cappellanos deputent cum competenti mercede, etiam super re certa de bonis prædictis assignanda, per quos Missis, & aliis oneribus satisfiat, ac ipsis Ecclesiis debitus cultus, & veneratio conservetur, utque dicti Ordinarii inventarium tam sacra, quam profana suppellectilis ad Congregationes suppressas hujusmodi respective spectantis accurate conficiant, ac provideant, ne a quocumque occultari, occupari, aut inde amoveri ulterius possit, nisi, & donec a Nobis, & Sede prædicta aliter provideatur, & alias prout in nostris deluper in simili forma Brevis die sexta currentis mensis Decembris expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Supplicatio Reipubl. pro applicatione bonorum Congregationum suppressarum.

§.2. Et sicut pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Ducis, & Reipublicæ Venetorum Nobis nuper expostum fuit, ipsi atrocissimum sibi a Turcarum tyranno illatum bellum a viginti tri-

bus annis pro suarum ditionum tuitione, sustineant, eorumdemque Turcarum Civitatem Candia, jamdiu vehementi obfatione præmentium impetus pro viribus propulsare satagant, sed ejusdem Reipublicæ facultates tot sumptibus in causam dicti Belli factis, adeo attrite de præsentibus reperiantur, ut bello hujusmodi in posterum sustinendo impares sint, manifestumque proinde insitet periculum amissionis dictæ Civitatis, totiusque Regni Crete, nisi Respublica ipsa præsentaneo aliunde auxilio sublevetur.

Concedit Pontifex.

§.3. Hinc est, quod Nos, qui ab ipso Pontificatus nostri primordio, omnia divina, humanæque opis præsidia, atque auxilia in subventionem rei Christianæ contra insensibilis illius hostes assiduis Pontificii zeli studiis conciliare, conquirere, atque pro viribus conferre non desistimus, Reipublicæ præfatæ in præsentibus rerum angustiis, quantum Nobis ex alto conceditur, subvenire, dictosque Ducem, & Rempublicam pro peculiari paternæ nostræ in eos charitatis affectu specialis favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdictionis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine, Nobis super hoc humiliter potrestis inclinati, omnia, & singula memoratarum trium Congregationum, ut præmittitur, suppressarum bona (exceptis sacris) in Statu dictæ Reipublicæ Venetorum existentia in subsidium, atque subventionem Civitatis Candia, & Regni Crete præfatorum, ac expeditionis contra Turcas supradictos, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo applicamus. Ac tibi per eandem præsentem committimus, & mandamus, ut per te ipsum, vel per Commissarios a te specialiter deputandos bona hujusmodi quamprimum Ecclesiis, Monasteriis, & aliis locis piis dumtaxat, itaut ecclesiasticæ jurisdictioni semper subiaceant, & subiecta, atque ecclesiastica perpetuo remaneant, ac ad Ecclesias, Monasteria, & loca pia hujusmodi illa respective empturas, & emptura cum omnibus, & singulis libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, privilegiis, juribus, & indultis cum quibus ad Congregationes, ut præfertur, suppressas; ante suppressionem hujusmodi spectabant, & ab illis possidebantur, pariformiter, perpetuo spectare, & ab illis possideri, & retineri debeant, auctoritate nostra Apostolica vendas, detractis tamen prius detrahendis, tam pro alimentis nunc viventium Canonicorum, & Fratrum, seu Religiosorum Congregationum suppressarum præfatarum juxta supradictas nostras literas, quam pro servitio, & maintenance Ecclesiarum earumdem Congrega-

tionum, atque onerum illis respective incumbendum supportatione, ac pretium inde redactum deponi facias penes eadem, sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, itaut inde extrahi, seu amoveri minime possit, nisi cum mandatis propria tua manu subscriptis, cum expressione cause, & usus, in quem pecunia erit eroganda, qui quidem usus non sit alius, quam pro subsidio, & subventionem, ac expeditione antedictis.

Providet quo ad Venditionem, & emptionem donorum supradictorum ut in Rubric.

§.4. Ut autem Ecclesiis, Monasteriis, & aliis locis piis præfatis, pecuniæ ad emenda bona hujusmodi necessaria suppetant, Rectoribus, Curatoribus, Administratores, Oeconomis, ac Superioribus, seu Procuratoribus earumdem Ecclesiarum, Monasteriorum, & Locorum piorum respective, vel aliis, ad quos ea res spectat, seu pro tempore spectabit, census, & alias præstationes, seu jura annua ad ipsas Ecclesias, Monasteria, & loca pia respective spectantes, & spectantia, qui tamen, & quæ, vel ex natura contractus, vel ex conventionem in ipsis contractibus apposita sint redimibiles, & redimibilia, quantum opus fuerit, meliorique fieri poterit conditione vendendi, & alienandi, vel pecunias ad censum, seu aliud licitum interusurium, vel interesse super Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum piorum præfatorum respective bonis capiendi, ac pecunias inde proventuras, in emptionem bonorum stabilium eis respective per te, seu Commissarios tuos, ut præfertur, vendendorum, & non in alios usus unico contextu integre convertendi, & erogandi, necnon instrumenta quacumque cum obligationibus, clausulis, & cautelis in similibus apponitis, seu aliis necessariis, & opportunis celebrandi, seu celebrari, aliaque desuper necessaria, & opportuna faciendi, & exequendi quacumque necessariam, atque opportunam facultatem, & licentiam dicta auctoritate concedas, & impartiaris.

Clausula præ servativa.

§.5. Decernentes eandem præsentem literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, neque sub quibusvis similibus applicationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac etiam sub posteriori data per præfatos Ducem, & Rempublicam quodcumque eligenda, de novo concessas intelligi, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac eisdem Duci, & Reipublicæ, ac aliis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præminentia, & potestate fun-

Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

gentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.6. Non obstantibus quatenus opus sit, de jure quæsito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in similibus applicationibus, illisque committendis ad partes vocatis quorum interest, aliisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, necnon fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, ac illarum alienationibus committendis, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac omnibus, & singulis illis, quæ in prædictis literis volumus non obstare, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, & Locorum Piorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 7. Dec. 1668. An. II.

Datum Romæ apud S. M. M. sub Anulo Piscatoris, die 7. Decembris 1668. Pontificatus nostri Anno II.

LXXXIX.

Confirmatio quorundam Decretorum Congregationis de Propaganda Fide circa Studium Linguae Arabicæ, & controversiarum in Conventu S. Petri in Monte de Aureo de Urbe institutum emanatarum.

Ex Regest. in Secret. Breve.

CLEMENS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Crediti Nobis coelitus sacrosancti apostolatus officii ratio exigit, ut illis, quæ pro felici studiorum Christianæ Religionis propagandæ, Catholicæque Fidei tuendæ consilio sapienter institutorum statu, atque progressu provide constituta esse noscuntur, quo firmiter subsistant, & serventur exactius apostolici muniminis adjungamus firmitatem.

Exordium.

§.1. Alias siquidem emanarunt a Congregatione Ven. Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negociis Propagandæ Fidei præpositorum pro

Q 9 a fel.

Decreta Congregationis de Propaganda Fide.

Decem Religiosi ad studium designantur.

Aliaque statuuntur ut in subrica.

felici, prosperoque studii Linguae Arabicae, & controversiarum in Conventu Sancti Petri in Monte Aureo de Urbe Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorem nuncupatorum instituti regimine, & gubernio, ac ad studiorum animos, ut sedulam literis operam navando in bonos, atque aptos ad laborandum in vinea Domini operarios evadere satagant, congruis laborum praemiis incitandos nonnulla decreta, & ordinationes, tenoris, qui sequitur, videlicet:

Decreta S. Congregationis de Propaganda Fide circa Studium Linguae Arabicae, & controversiarum in Conventu Sancti Petri in Monte Aureo. Peracta ab Esmo Brancario a Sac. Congregatione ad id specialiter deputato visitatione Studii Arabicae Linguae in Conventu S. Petri in Monte Aureo, eaque per eisdem Sacrae Congregationis Secretarium relata, Esmi Patres ex ea colligentes non modicum illud esse collapsum, & a primaevis exercitiis defecisse, censuerunt opportune providendum, ut infra.

Cum ex duodecim ad minus Religiosis, qui memorato studio, ut olim confueverat, operam navare deberent, quatuor dumtaxat ad praesens illi incumbentes fuerint reperti, & ex iis aliquis ex scientiarum defectu parum idoneus ad finem intentum assequendum, Patri Generali sive Vicario Generali Ordinis pro tempore existens, stricte injungitur, ut decem saltem in posterum Religiosos Strictioris Observantiae Arabicae Linguae, ac controversiarum vacantes ibi collocet, curetque, ut eorum denarius numerus indiminutus semper remaneat.

Cum vero praedicti Studii finis eo dirigatur, ut Sacra Congregatio, necnon Religio in promptu habeat viros ad missionum munus exercendum idoneos, & in iis, quae ad hujusmodi ministerium pertinent, excultos, Generalis conscientia graviter oneratur, ut non nisi Fratres regulari disciplina, probitate morum, ac zelo gloriae Dei praeditos eligat, quique Lectores, aut Concionatores sint, aut saltem in morali Theologia bene versati, utque validius labores missionum sustinere possint, nec minores sint annis 25., nec rigeissimum quintum excedant, firmaque gaudeant corporis valetudine.

Quo vero Apostolicus Missionum spiritus in totum praedictum Ordinem diffundatur non ex sola Italia, sed ex omnibus Reformatae Familiae Provinciis eos accersere curet.

Ultra vero decem praedictos conceditur Provinciae Romanae Ministro, ut duos alios ex hac Provincia possit adungere, dummodo praefatis conditionibus sint praediti.

Post octo dierum lapsum a primo eorum in praefatum Studium ingressu, intra quos ipsi e Conventu egredi minime liceat, in manibus P. Generalis, aut eo absente, ipsius Vicarii, vel alterius ab eo

deputandi juramentum emittant juxta formulam in calce praesentium decretorum appositam, illudque ad Sacram Congregationem transmittant.

In hoc studio ultra duos annos non morentur, nisi fortasse cum aliquo ob insignis spem profectus censuerint lectores, protrahendam esse moram ad triennium, idque cum dispensatione in scriptis Patris Generalis, & S. Congregationis.

Habeatur de Studentibus, dum in studio permanserint, eadem ratio, acsi hujus Provinciae Fratres essent, tum circa praecedentiam juxta susceptionem habitus, tum circa reliqua eorumdem Religiosis necessitatibus convenientia, de quibus Guardianus non secus, ac reliquos sui Conventus Fratres eos providere tenebitur sub eisdem poenis, quae contra Guardianos id ipsum, suis Fratribus prestare negligentes a statutis generalibus reformationis decreta sunt: Vestiarium vero curet Generalis a propriis Provincialibus eis tempore debito subministrari.

Restituantur Studentibus duodecim Cellae alias ipsis assignatae, videlicet decem quae sunt in Dormitorio quod respicit Aquam Paulam, loco autem primae, & ultimae ejusdem Dormitorii, quae ob obscuritatem studio minus aptae sunt, aliae duae idoneae assignentur praedictis, quo fieri poterit propinquiores.

Concedat Guardianus Studentibus parvum hortum cum sua sera, ubi sejuncti ab aliis Fratribus honeste refici, ac invicem in lingua cum Lectoribus exercere queant.

Duo semper ad sint in hoc studio Lectores, alter Arabicae linguae, controversiarum alter a Generali, vel ejus Vicario electi, itaut non nisi praevio examine, & confirmatione S. Congregatio admittantur. Serio autem injungitur iisdem sedulitas, & assiduitas in lectionibus, repetitionibus, & exercitiis.

Fruantur Lectores sic electi, & confirmati praecedentia, praerogativa, ac privilegia, quibus Lectores auctuales Theologiae potiuntur.

Lector controversiarum binas singulis hebdomadibus tradat in scriptis lectiones controversiarum orientalium, & post vespertas earumdem habeat conferentias, frequentibusque exercitiis Studentes instituat singulis vero mensibus tradita doctrinae disputationes habeantur.

Lector vero linguae Arabicae ter in hebdomada legat, & rerum quas Studentes docuerit repetitionem ab eisdem exigat, singulis diebus, quibus legere tenetur, per horam post vespertas auditores suos exerceat.

Prohibetur aequae Lectoribus, ac Studentibus diebus lectionum e Conventu egredi quacumque ex causa, etiam sub praetextu alium Fratrem, tametsi Superior sit, associandi, nisi expletis integre lectionibus, ac exercitiis ea die, quae fieri debebant, aut confueverat. Quod si Guardianus viderit, vel minimum ea de causa iis detrahi, aut minus diligenter peragi, pro-

prohibeat prorsus egressum e Conventu per totum diem lectionum.

Diebus vero Festis, aut Vacationum, liceat Guardiano Studentes devotionis, aut alia honesta causa, si ita expedire videbitur, foras mittere, dummodo ea die Thefes non habeantur, nec omnibus eadem die licentia concedatur. Poterit itidem Guardianus aliquando etiam diebus lectionis, si necessitas urgeat, eosdem Studentes ad celebrandum extra propriam Ecclesiam mittere, dummodo non omnes, sed aliqui tantum mittantur, nec frequenter fiat, nec ullo modo lectionis, aut exercitiorum tempore, eo autem casu illico expleta functione redire teneantur.

Ut Lectores distractionibus submotis diligentius suis incumbant studio, ac lectionibus, prohibetur iisdem Visitatoris, aut cujusvis alterius muneris onus assumere, aut Quadragesimalium concionum, tum intra tum extra Urbem cursus agredi, quod etiam studentibus, durante studio interdicitur, tametsi non id circo prohibeatur eisdem sermonem aliquem, aut concionem interdum infra annum habere ob aliquam occurrentem festivitatem aut 40. horarum orationem.

A lectionibus, repetitionibus, ac exercitiis utriusque studii nemo prorsus ex studentibus quocumque titulo, aut colore eximatur, aut unquam permittatur abesse, & si quis neglexerit, a Guardiano corrigatur, idemque fiat si praetermiserit describere ea, quae a lectoribus traduntur, utque omnis plane tollatur excusationi locus tempore, quo Scholae, & exercitiis interfunt, nemini liceat eos inde evocare, & si aliquis evocetur, cum Lector abire, non permittat.

Lectiones tum controversiarum, tum Arabicae linguae fiant de mane ad primam per integram horam juxta morem Religionis.

Senis quibuscumque mensibus Thefes Theologiae Arabico, ac Latino idiomate habeantur, uti prius confueverat, quibus sicut & controversiarum Thefisbus Conventus Guardianus interesse teneatur ad animos studentibus addendos, dignoscendosque eos, qui proficiunt, utque Generalem Ordinis monere possit de iis, qui forsitan minus studio ejusmodi vacaverint, quo valeat, eis submotis, alios subrogare.

Removeatur omnino e Conventu studium Theologicum nuper illuc inventum, sub ejusmodi vero prohibitionem minime intelligatur comprehensum artium studium, quod pro Clericis inibi antea viguisse supponitur.

Quoniam vero parum prodent Alumnus linguam ipsam addiscere, nisi in eisdem Missionum, ac pietatis spiritus foveatur; Ideo Religiosus aliquis magni spiritus, ac zeli deputetur, qui ad ipsos eorum alios fratribus singulis mensibus concionem habeat, de Missionariorum muneris praerogativa, deque peculiaribus ejusdem functionibus, quo spiritus Apostoli-

cus in eis succendatur, ac maneat, & erudiantur in iis omnibus, quae ad illud congrue, & cum Dei gloria peragendum pertinent.

Generalis Ordinis, vel ejus Vicarius, vel Commissarius Generalis singulis quatuor mensibus saltem studium istud omnino visitet, & si studentem aliquem minime proficientem invenerit, aliqua poenitentia injuncta, qua alii ab assumpto munere negligendo deterrantur, eum ad propriam Provinciam redire jubeat, & eandem Sacram Congregationem de remotione moneat, aliumque in remoti locum, quam primum subroget. Ultra vero praedictam Generalis visitationem Secretarius itidem Sacrae Congregationis ejusdem nomine idem studium omnino visitet bis in anno, se solo absque Superiorum interventu, quo visitandi liberius queat statum, & necessitates Collegii exponere, adhibito secum dumtaxat aliquo Arabicae linguae perito, per quem possit Alumnos examinare, & de eorum progressu certiorari.

Completo studio abeant studentes quo a Sacra Congregatione destinati fuerint, quod si nullus tunc temporis sit in promptu Missionis locus, mittantur a Generali ad inserviendum Terra Sanctae, quo magis firmentur in Arabica lingua, parati cum opus fuerit, Sacrae Congregationi inservire, si eadem illos legitime impeditos non existimaverit.

Qui vero propria ipsorum culpa submovebuntur a studio, remittantur ad suas Provincias cum privatione utriusque vocis, quae non nisi per Sacram Congregationem remitti poterit.

Ad hanc tamen poenam non procedatur, nisi habita ipsius culpa, causarum, prudenti, ac discreta consideratione.

Discidium vero post completum Studium, aut quavis alia de causa teneatur Guardianus infra dies octo notulam ad Sacram Congregationem transmittere, sicut etiam eorum, qui de novo advenerint, & Juramentum emisserint cum expressione diei, ac loci ad quem diriguntur.

Ut autem hujus Ordinis Religiosi aliquo etiam temporali premio alliciantur, animosque fortius intendant, ad libentius semetipsos dicandos Sacro Missionum Ministerio, & consequenter etiam Studio praedicto, veluti ad missiones ipsas directo, Missionarii, ac respective Studentes iis, quae sequuntur, potiantur privilegiis.

Studio Arabicae Linguae peracto, si studentes lectorum suorum, aliorumque a Sacra Congregatione deputandorum judicio profecisse compertum fuerit, nec tunc temporis pro eis missionis occasio sese obtulerit, aut ob aliquam momenti causam Loca Sancta petere nequiverint, ad proprias remeant Provincias, ibique morentur, donec Sacrae Congregationis Servitio adhibeantur, & interim Minister Provincialis eos collocet in principali aliquo Provinciae Conventu eisdem grato, ex quo ipso Generali inconsulto dimoveri nequeant.

Quod

Quod si interim a Sacra Congregatione missioni alicui destinati fuerint, vel a Superiore Generali missi ad Loca Sancta, illico vigore Juramenti parere teneantur, alias plectantur arbitrio Sacra Congregationis.

lis vero, qui in missione aliqua praefati munere per sexennium laudabiliter functi fuerint, liceat in reditu aliquem ex principalibus propriae Provinciae Conventibus sibi deligere, ac inter Exprovinciales praecedentiam habere dummodo saltem per duos annos ante, vel in eadem Missione, vel in alia in statu simplicis Missionarii inservierint.

Liceat pariter iis, qui commendabiliter duodecim annorum spatio Sac. Congregationi in Missionibus inservierint, post reditum unum ex principalibus propriae Provinciae Conventibus sibi deligere, eorumque locus sit post ultimum Definitorem, ceterosque [si ibi adfuerint] qui alias Missionis alicujus Praefati extiterint.

Facultate demum eligendi sibi Conventum in reditu gaudeant. Insuper Fratres illi, qui per annos quindecim Terrae Sanctae inservierint.

Missionarii autem ejusdem Ordinis, qui cum licentia Sacrae Congregationis, vel Praefati ex locis Missionum discedentes ad Urbem se conferunt propter negotia earumdem Missionum remaneant in Conventu Sancti Petri in Monte Aureo, in quo habeantur tanquam si essent Fratres de Familia quoadusque per Sacram Congregationem expediti fuerint, quod quamprimum fieri curabit.

In eodem Conventu commoretur Procurator Missionum durante ejus officio, qui habeat duos socios sibi gratos, ut eum adjuvent in gerendis negotiis Missionum cum facultate illos mittendi extra Conventum propter ipsarum Missionum negotia, petita prius solita benedictione a Superiore locali.

Ad munus autem Procuratoris Missionum imposterum nemo aligatur, nisi prius in eisdem Missionibus laudabiliter inservierit per sexennium completum, cum titulo Praefati, vel per decennium cum titulo Missionarii.

Quibus omnibus Sacrae Congregationis iussu Sanctissimo Domino Nostro per eisdem Secretarium relatis, Sanctitas Sua ad majoris firmitatis robur adjiciens, Breve desuper expediri mandavit in Audientia sub die 9. Junii 1668.

Formula Juramenti praestandi ab Alumnis Linguam Arabicam addiscentibus in Conventu Sancti Petri in Monte Aureo de Urbe Ordinis Minorum Strictioris Observantiae. Ego Fr. N. de N. Ordinis Minorum Provinciae vero Reformatae N. juro, & promitto in manibus Paternitatis Vestrae Reverendissimae N. ab hoc Seminario non discessurum, neque discedere procuraturum mediate, vel immediate per me, vel per interpositam personam, nisi ex legitima causa admittenda a P. V. Reveren-

dissima, vel a vestris successoribus canonice intrantibus, & non alias &c. Insuper pro Fidei Catholicae propagandae causa, ac salute Infidelium procuranda ad eum locum, Provinciam, seu Regnum sine aliqua repugnantia, aut exceptione quocumque iturum, ad quam, seu quod a P. V. Reverendissima ero destinatus, & missus, sic me Deus adjuvet, & haec Sancta Dei Evangelia. Ego N. de N. affirmo ut supra manu propria.

A. Card. Barberinus.

Loco t Sigilli.

I. Archiepisc. Cefareae Secr.

§.2. Cum autem firmitate sint, atque stabilius persistant illa, quae Apostolicae confirmationis praesidio roborantur. Hinc est, quod Nos inviolabili omnium, & singulorum Decretorum, & Ordinationum hujusmodi robori, & efficaciam salubriter, quantum cum Domino possumus, providere volentes, praeserta Decreta, & Ordinationes cum omnibus, & singulis in eis contentis, auctoritate Apostolica, tenore praesentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplementis, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

§.3. Decernentes easdem praesentes literas, ac decreta, & ordinationes hujusmodi semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, praefatorum Conventus, & Ordinis, aliusve quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem, prorsus fides in iudicio, & extra habeatur, quae

Confirmat Pontifex Decreta.

Decretum, irritans.

Derogatio contrariorum.

Transumptum fides.

quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Majorum sub Annulo Piscatoris die 10. Decembris 1668. Pontificatus nostri Anno II.

C X.

Applicatio Bonorum trium Congregationum suppressarum in Regno Siciliae ultra Phatum Ducis, & Reipublicae Venetorum in subsidium contra Turcas.

Ven. Fratri Episcopo Mazarien.

CLEMENS PAPA NONUS

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam benedictionem.

§.1. CUM Nos gravissimis, & rationalibus causis Nobis notis adducti, Congregationes Canonicorum Sancti Georgii in Alga Venetiarum, ac Fratrum Jesuatorum Sancti Hieronymi, & Fratrum ejusdem Sancti Hieronymi de Fafulis sub Regula Sancti Augustini una cum omnibus earum respective Dignitatibus, Officiis, ac Ministeriis, omnique conventualitate, collegialitate, titulo, essentia, ac denominatione perpetuo extinxerimus, ac suppresserimus; Ac universa earumdem Congregationum sic suppressarum respective bona mobilia, & immobilia tam Sacra, quam profana, Conventus, Collegia, Monasteria, Domos, Vineas, praedia, Canones, responsiones, fructus, introitus, & jura quaecumque, ubicumque locorum, existerent nostrae, & Sedis Apostolicae dispositioni in usum, & opera pia per eos, qui- bus id a Nobis, & Sede praedicta commissum foret, convertenda reservaverimus; Praeterea Canonici, & Fratres dictarum Congregationum suppressarum, qui nunc vivunt, & in eisdem Congregationibus respective professionem emisserunt, facultatem transeundi ad aliam quamcumque Religionem ab eadem Sede approbatam, in qua benevolos invenerint receptores, aut remanendi in seculo in habitu Clerici secularis sub jurisdictione, & obedientia Ordinariorum Locorum, ubi eos morari contigerit, cum provisione ipsorum singulis pro alimentis, Clericis quidem in summa quadraginta scutorum monetae Romanae; Laicis vero, seu Conversis in summa viginti scutorum parium annis singulis donec vixerint, seu aliunde sufficienter eis provisum fuerit, super certis bonis, aut redditibus Congregationum suppressarum hujusmodi respective per eosdem Ordinarios assignanda tribuerimus, & impartiti fuerimus. Ac demum ne Ecclesiae earumdem Congregationum suppressarum debito destituatur servitio, sed factae custodiantur, praedictis Ordinariis locorum, in quibus Ecclesiae ipsae sunt sitae, commiserimus, & mandaverimus, ut Cappellanos

deputent cum competente mercede etiam super re certa de bonis praedictis assignanda, per quos missis, & aliis oneribus satisfiat, ac ipsis Ecclesiis debitus cultus, & veneratio conservetur, utque dicti Ordinarii Inventarium tam sacrae, quam profanae fidei, pellectilis ad Congregationes suppressas hujusmodi respective spectantis accurate conficiant, ac provideant, ne a quoquam occultari, occupari, aut inde amoveri ulatenus possit, nisi, & donec a Nobis, & Sede praedicta aliter provideatur, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 6. currentis mensis Decembris expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius continetur: Et sicut pro parte dilectorum filiorum Nobilium Virorum Ducis, & Reipublicae Venetorum Nobis nuper expositum fuit, ipsi atrocissimum sibi a Turcarum Tyranno illatum bellum a viginti tribus Annis pro suarum Ditionum tuitione sustineant, eorumdemque Turcarum Civitatem Candiae jamdiu vehementi obsidione praesentium impetus pro viribus propullare satagant, sed ejusdem Reipublicae facultates tot sumptibus in causam dicti belli factis adeo attrite de praesenti reperiantur, ut bello hujusmodi in posterum sustinendo impares sint, manifestumque proinde instet periculum amissionis dictae Civitatis, totiusque Regni Cretae, nisi Reipublica ipsa praesentaneo aliunde auxilio sublevetur.

§.2. Hinc est, quod Nos, qui ab ipso Pontificatus nostri primordio omnia, divinae, humanaeque opis praesidia, atque auxilia in subventionem rei Christianae contra insensissimos illius hostes assiduis Pontificii zeli studiis conciliare, acquirere, atque pro viribus conferre non desistimus; Reipublicae praedictae in praesentibus rerum angustis quantum Nobis ex alto conceditur, subvenire, dictosque Ducem, & Reipublicam pro peculiari paterna nostrae in eos charitatis affectu specialis favore gratiae prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum praesentium, dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & singula memoratarum trium Congregationum, ut praemittitur suppressarum bona (exceptis Sacris) in Regno Siciliae ultra Phatum existentia in subsidium, atque subventionem Civitatis Candiae, & Regni Cretae praefatorum, ac expeditionis contra Turcas praedictos Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo applicamus. Ac tibi per easdem praesentes committimus, & mandamus, ut per Te ipsum, vel per Commissarios a te specialiter deputandos,

Supplicatio Reipublicae.

Annuit Pontifex.